



Q. D. B. V.

Th. I.

Variolæ & Morbilli ut sunt Morbi omnium frequentissimi ita non rarò sine Medici, si non Medicinæ, opera persanantur. Aliquando tamen, in Epidemiis præsertim Constitutionibus, eximia est illorum malignitas, cui tantum abest, ut absq; manu medicâ sufficiat *ὅσων Φύσις ἰντέγῃ*, ut vel Medicorum peritissimorum consiliis auxiliis adiuta succumbat. Non igitur oleum perierit & opera si affectuum horum, cum causis & curatione sint affines, examen loco Exercitij Inaugûralis publicè ventilandum proposuerimus. Quod dum comitante Deo tentamus, viâ Scriptorum Medicorum meritò insistimus, ne vel sine Methodo peregrinemur, vel compendiosiores quæsituri semitas in scopo planè forsan aberremus. Sit itaq;

I. DEFINITIO.

1. *Variolæ*, rectius fortè *Varioli*, à *Varis* vel *Variando* dictæ videntur: *Morbilli* à *Morbo* qu: *parva Pests*. Hæc enim non Italis tantum *Morbus* dicta per excellentiam, sed & Latinis ex quibus prodeat unus saltem *Ovidius*:

*Strage Canum primo volucrumq; aviumq; boumq;
Inq; feris subito deprênsa potentia Morbi est.*

7. Met.
f. 25.

3. *Arabum Synonyma*, si quis vocabulorum portenta vult, videat apud *Mercur.* & alios. Sed quid ex Antiquorum monumentis? Num sint *Græcorum* ἐκθύματα, ἐξανθήματα, τρηχίσματα, *Herpetes*? Num *Latinorum* *papule* & *pustule*. Num potius incogniti fuerint illis hi affectus? Nos licet in hanc sententiam vix consentiamus, Litem tamen non contestabimur, accensendam quippe quæstionibus *Logicis*, quæ ad *Artis* opera nihil conducunt. Si quis tamen configentium aciem & arma desiderat, videat hinc quidem *Manard. l. 7. ep. 2. Minadoum. l. de*

A. 2